NONNULLA DE PNEUMONIAE THERAPIA ADJECTIS NONNULLIS HUJUS MORBI CASIBUS.

DISSERTATIO INAUGURALIS MEDICA

QUAM

CONSENSU ET AUCTORITATE

GRATIOSI

MEDICORUM ORDINIS

IN

ALMA LITERARUM UNIVERSITATE GRYPHISWALDENSIS

PRO SUMMIS

IN MEDICINA,

CHIRURGIA ET ARTE OBSTETRICIA

HONORIBUS

RITE IMPETRANDIS

DIE IV. MENSIS DECEMBR. ANNI MDCCCLVIII

PALAM DEFENDET

AUCTOR

ERNESTUS VORMANN,

GUESTPHALUS.

OPPONENTES ERUNT:

C. LIEBERMEISTER, MED. DR., MED. PRACT.

A. SALM, MED. DR.

H. REICHEL, MED. DR., MED. PRACT.

GRYPHIAE,

TYPIS FRID. GUIL. KUNIKE, REG. ACAD. TYPOGR.

AMICIS CARISSIMIS

SCHMEMANN,

REFERENDARIO

NEC NON

A. SALM,

DR. MED.

HASCE PAGELLAS

OFFERT

AUCTOR.

Prooemium.

Saepius occasio mihi data est, pneumoniae morbi, quo nullo cerebrius homines afficiuntur decursum observandi cyclicum. Hujus ergo morbi descriptionem in dissertatione inaugurali elaboranda materiam sumere non dubito. Sex addidi historias morbi, quarum omnium ipse observavi decursus paucisque, quas sint secuti methodos medici priorum temporum in pneu-

monia curanda sanandaque attuli. Te vero lector benevole, ut parcas mihi tironi et mecum clementer agas, oro et obsecro.

Auctor.

Omnes omnium temporum terrarumque medici sanguinis missiones remedium habuerunt principale et fere unicum, quo sanarent pneumonias genuinas crouposas (sit venia verbo), de quibus solum scripturus sum. Quamquam jam antea morbum illum ad exitum finemque felicem tendere nullis remediis adhibitis, observatum erat, tamen hanc methodum exspectativam perniciosissimam omnemque pneumoniam etiamsi non esset perniciosa, graviter vehementerque tractandam esse habebant. Tractarunt illi morbum apparatu adhibito s. d. antiphlogistico. Instituebantur igitur in unaquaque pneumonia venae sectiones aut brachii aut pedis; quin etiam erant, qui commendarent venae sectionis semper brachii ejus lateris in quo existerat pneumonia, id quod nullis probatur rationibus physiologicis. Quo celerius venae sectio erat instituta eo efficacior putabatur, una et major quidem venae sectio utilior habebatur, quam duae minores diversis temporibus institutae. Praeter venae sectiones praescribebantur clysmata solventia, potus pituitosi tepidi et Kali nitricum cum vehiculo pituitoso. Quantum sanguinis esset mit-

tendum quoties et quando venae sectio esset instituenda, num simul hirudines adhibendae essent ad missiones sanguinis locales, id pendebat partim ex pulsu aut pleno firmoque, aut parvo vehementerque contracto, partim ex febri, dyspnoea aliisque huiusmodi rebus. Catarrhus gastro-intestinalis cum diarrhoeis et vomituritionibus abundantibus, graviditas, menstruatio et lochia non obstabant, quominus venae sectiones usurparentur. Decem aut sedecim aut viginti unciae sanguinis mittebantur in prima venae sectione. Nullis ita rebus medici impediebantur quominus instituerent venae sectiones, quas sine ulla exceptione utilis esse putabant, nil periculi ex illis timentes.

Bouillaud primus fuit medicorum, qui pneumoniam curare et sanare studeret, certis regulis adhibitis, quippe quum constitueret partim quoties quotidie sanguis esset mittenda, partim quantum sanguinis in unaquaque venae sectione esset detrahendum. Bouillaud hac tractatione singulari sese exitus eventusque egregios consecutum esse contendit[1]). Id efficere studebat, ut pneumonia brevior fieret, utque dolores aegroti minuerentur. Ratio mortalitatis ut dicit 1:8 fere erat. Quae inde evenerunt his rebus satis explicantur. Primum plurimi aegroti annos triginta nati et viri quidem fuerunt, qua in aetate ratio mortalitatis ipsa minor esse solet, quam aetate prima aut provectiori. Jam quod attinet ad sanatam

---

1) Conf. Grisolles spec. Pathol. u. Therap, übersetzt von Berend. Leipzig 1846. Bd. II.

pneumoniam dimidio temporis, pendet a ratione temporis morbi, quod a Bouillaud perperam nulloque jure sumptum acceptumque est. Etenim Bouillaud mirum in modum morbi initium inde ab aegroto in nosocomium recepto computat, quamquam morbus fortasse jam multis diebus ante ingruerat. Ergo si revocare placeret, quae attulit Bouillaud de tempore pneumoniarum ab ipso tractatarum, ad earum tempus verum, facile appareret Bouillaud e pneumoniis laborantes non celerius sanasse ceteris medicis.

Ubi vero morbi vis non minuebatur venae sectione, ubi nulla efficiebatur remissio febris moliminumque respirationis hoc remedium omitti necesse erat. Ubi aegrotus non laborat e diarrhoea aut vomitu, Peschier commendat aegroto dandum Tart. emet. 4—6 gr. una cum 6—10 gtt. Tinct. anodyn. in decoct. Althaeae. Sudorem inde evenire contendit tussim et dyspnoeam minui sputumque facilius ejici; ubi aegrotus vomeret, remedium illud omittendum non esse, quippe quod plurimis in casibus dosin alteram sustenturus sit. Si sanguinis missionibus nihil efficiebatur, si Tart. emet. dabatur diutius sine ullo eventu aegrotique aetate erant provecti, febrique jactabantur, methodum secuti sunt medici Ritscheri. Dabantur Plumb. acet. una cum Tinct. thebaica in infuso Digitalis.

Plus minusve illustres sanationes antiphlogisticae venae sectione antea instituta eo efficiebantur, 1—2 gr. Calomelanos datis altera quoque hora. Quae curatio praecipue adhibita est a beato Berndt in clinico nostro

Gryphiswaldensi et tum quidem, quum venae sectionibus secundum Bouillaudi methodum saepius institutis nil erat effectum.

Ad processum inflammatorium impediendum Hydrargyrum bichloratum corrosivum commendabatur, sal cupri, nec non opium et aconitum, novissimisque temporibus chloroformium. Atqui haec specifica nihil efficiunt nisi sensibilitatis ramorum nerveorum in bronchis ramificatorum depressionem, effectam vi illorum narcotica. Longe vero lateque non est diffusus illorum remediorum usus.

Tractationi expectativae magis appropinquat pneumoniae tractatio infus. Digital. ʒβ—1½ʒ in ℥vj usque ad narcosin, quam tractationem commendarunt novissimis temporibus Schoenlein et Traube. Cujus remedii vis in eo maxime posita est, quod praeter vim diureticam cordis quoque actionem deprimit, pulsum minuit, quo febris quoque deminuitur, et temperaturam lenit. Recentissimis demum temporibus Dietelii opera corrigentia, novaque proferentia (cf. Dietl. der Aderlass in der Lungenentzündung critisch und physiologisch erörtert. Wien 1848.) tantum voluerunt, ut methodus haec pneumoniae curandae concuteretur. Maximam partem opera illa successibus sunt adscribenda, quos homoeopathici sunt assecuti.

Quamquam qui mediocriter modo sapiat, si reputet, quam exiguas medicamentorum doses ipsorum etiam parum efficacium, porrigere homoeopathici soleant, effectum eorum parvi aestimandum esse intelliget. Tametsi methodo illa, quin assecuti sint successus nullo modo negari

potest. Qua in re homoeopathici nobis allopathicis, si nominibus illis uti licet, summae fuerunt utilitati, quippe qui nobis ostenderent, quem decursum capturus esset morbus, qui remediis adhibitis nec tractaretur, nec in naturali suo decursu turbaretur. Quo intellecto non sine pudore profiteri debemus, quibusdam in morbis nos therapia adhibita aegrotis magis nocuisse quam profuisse. Quum ubique et semper in pneumonia curanda sanguinis missiones esse necessarias, apud omnes constaret medicos rationales, mirandus est animus illius medici, qui pneumoniam sine ulla sanguinis detractione curari posse contenderet. Ipseque Dietelius profitetur una cum dyspnoea et angore aegroti timorem quoque metumque suum crevisse et in eum quidem gradum, ut, dum successum datorum remediorum exspectaret, poenitentia tactus, lanceolam adhiberet et quum perillam plurimis in casibus dyspnoea, angorque aegroti sedarentur ad veterem sese rediisse methodum. Quae Dietl observavit et in libro suo supra commemorato literis mandavit, gravissima sunt, summique momenti. Primum ostendit, pneumoniam certum habere cyclicumque decursum. Incipit a febri aestuque, dyspnoea, capitis pectorisque doloribus, qui in dies crescunt, dum certis diebus tertio, quinto, septimo, nono auctis illis jam dictis symptomatibus subita ingruit omnium signorum remissio, a quo die valetudo semper fit melior. Ex hoc cyclico morbi decursu Dietelius eodem jure successus illos deducit, quo quisque medicus tractatione sua, si quid sese assecutum esse putat. Itaque

fieri potuit, ut quamvis multum sanguinis esset detractum multumque calomelanos aut Tartari stibiati datum aegrotus sanaretur, nilque aliud est mirum, nisi quod tam multi sunt sanati, quasi, ut Hyrtelius loco quodam, quo de trepanatione loquitur[2]), dicit, magna opera sit navanda ad aliquem lege artis necandum.

Quos Dietelius insanguinea sua tractatione[3]) est assecutus successus tractationem ipsam valde probant. Ex tabella supra commemorato libro adjecta elucet, octoginta quinque aegrotos venae sectionibus, centum et sex magnis dosibus Tartari stibiati et centum octoginta novem aegrotos remediis diaeteticis ab eo tractatos esse.

Quos venae sectionibus tractaverat, eorum convaluerunt sexaginta octo, mortui sunt septemdecim, quos Tart. stibiat. tractavit, eorum sunt sanati octoginta quatuor, mortui viginti duo; deinde quibus remedia tantum diaetetica praescribebantur, faustissimam praebuerunt rationem, quum eorum convalescerent centum septuaginta quinque, morerentur quatuor decim. Quibus e rebus ratione mortalitatis ducta inter primos mortalitatis ratio fuit 20,4%, apud alteros 20,7% et denique inter tertios 7,4%. Quae modo attuli, derimunt quidem contentionem inter sanguineam et non-sanguineam tractationem, quaeritur tantum, quod etiam medicus doctus semper respicere debet, an sit rationalis. Quod plane affirmare possu-

2) Hyrtl, Lehrbuch der topographischen Anatomie Bd. I.

3) Dietl. l. c.

mus Quae sit morbi causa, quam schola vindobonensis pneumonosam crasin appellarit, Pneumonia efficiatur, nobis plane est incognitum. Pneumonosa crasis relativo fibrini incremento, dum corpuscula sanguinis minuantur cognosci posse dicitur. Quod sanguinis qualitas nullo modo pathognomonicum signum est pneumoniae, quum sit ei communis cum multis aliis morbis sicut cum febribus sthenicis. Praeterea sanguinis missionibus, celeriter iteratis arte evocari potest, immo verisimillime in pneumonia anaemia, quae magno exsudationis processu in pulmone inflammatione affecto evocatur, efficitur.

Num est rationale talem sanguinis depravationem, anaemiam sanguinis missionibus sanare!

Qui tractationem venae sectionum sequuntur, ab illis affertur quidem, venae sectionem plane esse salubri eventu, aegrotoque summo esse laxamento et dyspnoeam minuere. Quae partim sunt concedenda. Phlebotomia enim re vera levat minuitque dyspnoeam, quod ut sanguis celerius in pulmonum vasis capillaribus fluat atque renovetur, efficit. Unde elucet, venae sectionem non specificum sed symptomaticum esse posse remedium. Ex altera parte si aegrotus suae solum naturae sit traditus, quam assidue dyspnoea augetur, tam celeriter finitur, nec unquam longius extenditur, quam exsudatio sit confecta. Aliter sese res habet, si pneumoniae tractantur venae sectionibus. Dyspnoea quidem plurimis in casibus, ut supra dictum est evidenter evanescit, nec tamen tardius crescit, ceditque iteratae venae sectioni

denuoque redit. In pneumonia in qua curanda nullum adhibetur remedium dyspnoea assidue crescit, in pneumonia venae sectionibus tractata est remittens. Attamen dyspnoea prius evanescit, quum morbus brevi remittatur, aliis vero in casibus remissio longe moratur, demumque omnino non redit. Dietelius[4]) numeris statisticis demonstrat, venae sectionibus tractatarum pneumoniarum multas fuisse letales, diaeteticis vero remediis ne unam quidem nisi forte cum tuberculosi, graviditate aliisque plus minusve gravibus morbis fuerint conjunctae. Et Dietelii et nostrae experientiae in nosocomio Gryphiswaldensi factae satis docent, pneumoniam male esse complicatam, ubi aegrotus potator est. Saepius iterata venae sectio resorptioni exsudati nullo modo utilis esse potest, efficit potius, ut pneumonia tantum absit, ut ab stadio hepatisationis se vertat in meliorem partem ut potius transeat in infiltrationem purulentam aut indurationem, quin etiam Dietelius sese contendere posse putat, hepatisationem quasi sub lanceola transire posse in finitimos pulmonum lobos, id quod fieri potest, sed multo rarius, si in pneumonia curanda nulla adhibentur remedia. Quod dictum Dietelii, quamquam magni aestimamus, tamen omni ex parte probare nequimus, ubi respicimus ad ea, quae experti sumus in nosocomio Gryphiswaldense. In nostro quoque nosocomio nonnullis in casibus venae sectiones non sunt institutae, morbique decursus natuae est tradi-

---

4) Dietl pag. 31.

tus; hepatisationem tamen in adjacentem lobum pulmonalem aut in partem ejus sese extendentem vidimus.

Praesertim illis diebus quibus remissio ingruere debebat, sc. tertio, quinto, septimo, nono morbi die hepatisationem augeri cognovimus. Aegrotos e pneumonia laborantes venaeque sectionibus tractatos multo tardius convalescere, quam eos qui nullis sint tractati remediis, in eo consentimur cum Dietelio, convalescere si idem valet, quod possidere omnes suas vires facile est intellectu, eos aegrotos quibus morbo tantum ademtae vires multo prius quam eos quibus etiam venae sectione detractae, totas suas recuperaturos esse vires. Ex omnibus supra dictis de venae sectione elucet, venae sectionem non specificum habendum esse remedium contra pneumoniam, ceterumque magis esse noxiam, quam utilem. Nihilominus contendere non licet, venae sectionibus in pneumonia tractanda carere posse. Et Dietelius ipse longe abest, ut venae sectiones omnino rejiciat; desiderantur vero in libro ejus indicationes speciales, quando venae sectio sit instituenda. Ill. Niemeyer maxime hac de re meritus est, quippe qui has constituerit indicationes.[5]) Tribus tantum in casibus venae sectionem instituendam esse contendit:

I Ubi temperatura altior est quam 40°, pulsusque

---

5) Conf. Niemeyer. Lehrbuch der spec. Path. u. Therap. mit besonderer Rücksicht auf Physiologie u. pathol. Anatomie. Berlin 1858, pag. 348.

plures facit quam 120 ictus in sexagesima horae parte. Venae sectione temperatura; pulsusque deminuuntur. Venae sectio vero tum instituenda est quum aegrotus validus est, in hominibus vero debilibus, sanguineque carentibus venae sectio nocet, augetque periculum defectionis et astheniae.

II, Ubi oedema collaterale in pulmonum partibus a pneumonia intactis, vitae periculum affert. Quod oedema cognosci potest, si in pectore fremitus audiuntur, strepitusque vehementes, dyspnoea magis magisque augetur, majorque est, quam pro hepatisatione possit exspectari et si sputa fiunt serosissima.

III, Si symptomata cerebri compressi adsunt, habitusque est soporosus, praesertim quum deliria apparent, artusque torpore hebetantur et interdum debilitantur.

Ceterum Ill. Niemeyerum frigidis fomentis in pectore positis crebrius uti satis docent historiae morbi mox afferendae. Frigida aqua humectata mersa lintea pectori imponuntur, saepius mutantur, quae aegroto mox sunt laxamento, dolores, dyspnoeamque diminuunt, nec non rarius pulsum temperant, corporisque temperaturam uno gradu deminuunt.

Fomenta illa frigida interdum aegrotos non juvant, tum sunt intermittenda. Qualis therapia in nostro clinico adhibeatur, quosque habeat successus optime docent morbi historiae, quae sequuntur.

Historia morbi I.

Anamnesis K. mulier quadraginta annos nata gaudebat semper optima valetudine. Vicesimo die mensis februarii anni h. s. 56 post meridiem vehementi febri aestuque jactabatur, quo remisso magnus invasit calor. Aegrota quum cubitum iret dormire nequiit, quum et magni capitis dolores et punctiones in dextra pectoris parte et tussis eam vexarent. Tussis sequenti die augebatur, sputaque ejiciebantur sanguine mixta. Cetera sym ptomata hoc et sequenti die omnia fuerunt aucta. Aegrota medico 23 die mensis februarii hanc praebuit speciem.

Status praesens. Aegrota est statura parva, debilis, jacet dextro in latere, spiritus ducit celeres, vox brevis, pulsus 120 reddit ictus in sexagesima horae parte. Genae sunt rubrae. Aegrota ipsa queritur de magno languore, viriumque prostratione, de capitis doloribus, acribusque punctionibus sinistri lateris, et de dyspnoea. Dextra thoracis pars, si spirat aegrota, paulum movetur; palpatione pectoris fremitus adauctus cognoscitur. In percussione sonitus in regione duorum loborum inferiorum vacuus erat; iu auscultatione respiratio partim incerta, partim bronchialis. Sputa fuerunt crocea.

Diagnosis et Prognosis. Omnibus ex his symptomatibus elucet, aegrotam pneumonia affectam esse, praesertim quum eo tempore morbus ille genio epidemico inflammatorio ingruere soleret. Prognosis fuit fausta, quum aegrota semper fuisset valida, quumque pneumoniae

prospere evenissent. Therapia et decursus. Eadem therapia adhibita est, quam Ill. Niemeyer in libro suo supra dicto commendat. Aegrotae praescribebatur contra febrem Infus. Digital. cum Natro nitrico, quod tamen non totum consumptum est. Ad leniendas punctiones frigida fomenta adhibita sunt, quae optimum habuerunt effectum.

Diaeta accuratissime observata est. Contra tussim praescribebatur:

℞ Morph acet. grj.
Aq. Amygdal. Amar. ℥β
D. S. 3 mal tgl. 15—20 Tropfen.

Quod remedium tanto fuit effectu, ut aegrota nullum aliud remedium capere vellet. Plura consumsit gr. Morphii. Morbus decursum habuit, ut solet cyclicum. Pulsus inter 110 et 115 ictus fluctuabat. Difficultas respirationis eadem mansit. Puunctiones vero et tussis remediis supra dictis sunt oppressae. Quinto die levia deliria aderant, pulsusque adscendit ad 120 ictus. Nihilominus in hac tam comprobata therapia perseveratum est nullaque venae sectio est facta. Hepatisatio in utroque inferiori lobo continuabatur, Septimo die subito ingruit remissio omnium symptomatum: Pulsus habuit 90 ictus, aegrotaque ipsa multo melius sese habuit. Diaeta praescribetatur corroborans, ferrumque ei Tinct. ferr. acet. Rad. et vinum datum est. Hac tractatione aegrota mox convaluit.

Morbi historia II.

L. K. sutor, 25 annos natus, sese die mensis Maji anni h. s. LVII aestu febrique vehementer jactatum esse dicit, nec non die sequente ad meridiem ita tamen, ut aestus febrisque non tam vehementer ingruerent ac die superiori. Simul doloribus pectoris sinistri dorsique sese cruciatum esse dicit aegrotus, qui figura est gracili, ore pallido et angusto, colloque longo. Antea semper sese optima gavisum esse valetudine contendit, nec unquam tussi, dyspnoea, palpitatione cordis sese laborasse affirmat, ita tamen ut jam a pueris macer esset et debilis. Nunquam nimium bibit; e contrario ut ipsius patronus affirmat, sobrius fuit et temperans.

Status praesens. Aegroti cutis est fervens et humida, tussi cruciatus vehementi, quodque exscreat haud paucum fereque croceum. Toto in sinistro pectore antico, ubi percutiebatur aegrotus sonitus audiebatur tympaniticus. Sonitus ille in dextero latere est sonorus et normalis, fortasse leviter tympaniticus. In tergo sinistro sonitus, ubi percutitur tergum, quantum patet, vacuus est, dextero in tergo est normalis. Auscultatione a parte antica et sinistra tota in extensione pulmonum incertus elucet spiratus, strepitusque a posteriori et sinistra parte supra auditur bronchialis exspiratio strepitusque, nec non bronchophonia clara, ubi, aegrotum verba edere jubet medicus; in parte inferiori et sinistra bronchophonia nasalis est. Ceterum aegrotus non bene sese habet, exspiratio est fluitans celerque, dyspnoea magna, pulsus ita

est auctus, ut in sexagesima horae parte 130 fere reddat ictus, ceterum parvus est et oppressus. Pupilla dilatata, os pallidum, labia sunt subcaeruleo colore, capitis doloribus non est affectus, quod mirandum est. Sensorium est liberum. Praescribebantur fomenta aquae frigidae et dextero sinistroque pectoris lateri imponebantur. Dolores et punctiones pectoris minuuntur, respiratio non est ita accelerata ac antea vespertino tempore pulsus 120 tantum facit ictus. Tussis nullo modo tam gravis cruciansque est, raroque ingruit, sputi multum ejicitur minus serosi.

Die XX sputum serosius erat. Pulsus 120 dat ictus, dolores quoque adsunt punctionesque in latere, eodem modo ac die superiori. Continuantur fomenta frigida praetereaque ad dolores pectoris sedandos octo cucurbitae cruentae imponuntur. Praeterea haec praescribuntur:

℞ Kali carbon. p. ʒβ
Acid. citric. gr. cxlv
Aq. destill. ℥xij
Syrup. simpl. ℥ij
DS.

Potus commendatur aqua cum succo citri mixta. Inter noctem exacerbatio exsistit omnium signorum; nil tamen praescribitur ad illam sedandam, inprimis absistitur a sanguinis missione per venae sectionem. Mane die XXI remissio adest, pulsus 80 tantum reddit ictus in sexagesima horae parte; tussis rara, sputum mucosum, puru-

lentum homogeneum, respiratio est tranquilla, cutis non fervens, percussio, auscultatioque eaedem sunt. Aegrotus omnino meliori gaudet valetudine, debilitate tantum et languore sese esse affectum queritur. Praescribebatur:

℞ Tinct. ferr. acet. Rademachr. ℥β
Aq. destill. ℥vj
Syrup. simpl. ℥j
DS. 2stündl. einen Esslöffel voll.

Die XV valetudo aegroti eadem est ac antea, osque ejus non tam destructam praebuit speciem. Percussio et auscultatio eandem significant extensionem hepatisationis. Pulsus 70 ictus in sexagesima horae parte dat.

D. XVI Maj. mens. Percussio non est vacuo, sed tympanitico sono. In auscultatione auditur crepitatio redux, incertusque spiritus et strepitus aliis in locis.

Die XIX. mensis Maji. Late diffusa auditur crepitatio redux, tussis evanuit. Valetudine gaudet aegrotus optima. Paucos post dies aegrotus sanatus est dimissus.

Morbi historia III.

Maria K. femina operaria triginta tres annos nata, quum esset puella semper se validam fuisse dicit, parentesque suos aetate provectos esse quum circiter septuaginta annos compleverint. Puella praestiterat illa inter aequales valida corporis constitutione. Sine incommodis patiebatur pauperiem inopiamque cum illa conjunctam. Corpus suum confirmaverat semper sub divo

versans operaque sua faciens. Viginti quatuor annos nata matrimonio jungebatur praesentique tempore trium scrophulosorum infantium est mater, quos ut alat omnes vires ei intendendae sunt. Subito jactabatur febri aestuque, vehementibus capitis doloribus simulque acribus laborabat sinistri lateris punctionibus et tussi. Febri aestuque se per dimidium horae jactatam fuisse dicit, bis vomuisse, vires omnes perdidisse, ut cubitum sibi eundum fuerit. Frigus secutum esse singularem aestum cum largo sudore.

Status praesens. Aegrota recubuit in sinistro latere, os est ruberrimum, injecta conjunctiva, vox est submissa, rauca et brevis. Sinistra thoracis pars parum movetur, lenissima levissimaque est respiratio. Palpatione indicatur fremitus pectoris auctus et efficiuntur in inferioribus partibus dolores. Percussione in superiori sinistri pulmonis lobo vacuus auditur sonitus, in parte inferiori lobo respondent et tympaniticus auribus percipitur sonitus. Dexter pulmo inflammatione non est infectus. Auscultatione auditur strepitus fremitusque, in parte vero aegrota respiratio bronchialis leviter consonans. Sputa crocea, tenacia vitroque adhaerentia. Lingua valde est obducta. Appetitus deest, adest vero obstructio alvi. Lotium est rubrum et saturatum.

Pulsus centum dat ictus in sexagesima horae parte, quibus respondent respirationis motus 26—27 eodem tempore.

Dyspnoea est exigua, corporis vero temperatura valde aucta.

Diagnosis. Quibus ex symptomatibus dubitari nequit, quin aegrota pneumonia genuina crouposa simplici affecta sit, cujus sedes superiori sinistri pulmonis lobus sit, eoque magis quod hoc malum genio est epidemico inflammatorio.

Prognosis. Quum epidemia sit mitis aegrotaque valida nulloque modo sit cachectica, prognosis prospera habenda est.

Therapia. Quamvis femina sit plethorica nulla instituitur sanguinis missio. Ut dolores sinistri lateris minuantur decem cucurbitae cruentae applicantur, dein frigida fomenta imponuntur. Praeterea praescribitur aegrotae Infus. Digital. e ℈j — ʒβ auf ℥vj aqua. Ut alvus fluat datur aegrotae infus. senn. comp. Ad sitim depellendam aquam aceto mixtam bibit aegrota, ceterum commendatur diaeta severa. Ut leniatur tussis, quae illi est molestissima praescribitur Morph. acet. gr. $^1/_8$ p. d.

Quum post tres dies habitus valetudinis in meliorem partem sese non verteret, sputaque fierent crebriora et purulenta praescribitur Infus. Rad. Seneg. cum Liq. Ammon. anisat. et opio. Post septem dies aegrota fuit sanata ita ut negotia sua obire posset, optima usque ad hunc diem gaudens valetudine.

Morbi historia IV.

Die 17. Maji mensis h. s. 56 Johannes V. homo operarius vehementi aestu febrique subito jactabatur ita ut cubitum ire cogeretur. Eodem tempore capitis membro-

rumque dolores, punctiones acres in sinistro latere invaserunt. V. constitutione corporis debili multos jam superavit morbos praesertim inflammationes pulmonum, quas tractavit beatus Berndt sanguinis missionibus. Aegrotus pater est plurium validorum puerorum et quum esset puer nunquam se graviter aegrotasse dicit.

Status praesens.

Die 18. Maji. Aegrotus dextro jacet in latere, ore rubicundo, sudore perfusus queritur de punctionibus acribus sinistri lateris, qui augentur quoties respirat, praeterea de capitis membrorumque doloribus et dyspnoea. Sensorium est liberum. Aegrotus levissime spirat sinistra thoracis parte, magis diaphragmate quam costis; lingua est sicca, sputum pulti e prunis coctae simile. Palpatione cognoscuntur vibrationes vocis auctae in sinistro latere, ubi loquitur aegrotus.

Pulsus 110 dat ictus in sexagesima horae parte et mediocriter est plenus. Cutis fervida et humida est. In sinistra thoracis parte sonus auditur vacuus, in posteriori tympaniticus, in dextra vero plenus normalisque. Auscultatione haec inveniuntur. Quantum patet sinister pulmo in antica parte respiratio est incerta, fremitusque audiuntnr. In posteriori sinistra a parte supra bronchialis exspiratio, aliisque locis strepitus incertissimaque bronchophonia, quum aegrotus submisse tantum loqui ausus sit nasalesque edat voces. Digestionis apparatus turbatus non est. Urina est concentrata. Aegroto sitim querenti

succus citri aqua mixtus dabatur, praetereaque praescriptum est, ut erethismus vasorum diminuatur.

℞ Infus. fol. Digital.

(I ℈j ℥vj)

Natr. nitr. ʒij

Syrup. Rub. Idaei ℥β

D.S. zweistündl. Esslöffel voll.

Praeterea ut punctiones lateris in sinistra thoracis parte deminuantur cucurbitae cruen decem sunt applicatae, idemque latus frigidis fomentis est involutum.

Qua tractatione felicissimum eventum effectum esse mirum est, praesertim quum aegrotus sit cachecticus sanguinisque missionibus debilitatus. Pectoris punctiones remittunt, tussis non ita est frequens ac antea crucians-quc. Respiratio non interrupta, sputa non ita crebra coloreque croceo. Die 19. idem erat status.

Die 20. Sputa largiora serosioraque sunt totque dat pulsus ictus quot superiori die. Aegrotus quod omnibus membris sit defessus queritur, quippe quum totam per noctem somnum non ceperit. Percussione et auscultatione eadem cognoscuntur. Frigida fomenta continuantur, quae aegroto primum molesta et injucunda erant, tum vero grata suaviaque, ut ipse quamvis sit debilis ea pectori applicare conaretur quum uxo r eius abesset. Temperatura cutis augebatur, respiratio est impedita debilisque; nocte subsequenti aegrotum paullulum dormiisse uxor dicit. Percussionis et auscultationis signa eadem fuere. Pulsus ad 90 ictus fuit deminutus. Infus. Digit.

quum iterum praescriptum esset, deminutum esse pulsum non est mirandum. Mixturae usus intermittebatur, fomenta frigida continuabantur, quippe quum aegroto essent saluberrima: Sputa parca sunt et lentissima. Die 26. nono igitur morbi die subito remissio aderat omnibus signis mitigatis. Pulsus 80 tantum ictus dat in sexagesima horae parte. Respiratio est quieta, percussio et auscultatio fuere eaedem. Aegroto quum de magno languore viriumque prostratione quereretur haec praescripta sunt:

℞ Tinct. ferr acet. aeth.
Mucilag. Gum. arab. āā ℥β
Aq. fontan.
Aq. Cinnamom. simpl. āā ℥iij
Syrup. Sacchar. ℥j
DS. Zweistündl. Esslöffel voll.

Die 27. Valetudo fuit optima, permagna debilitate excepta, sputa purulenta sunt et mucosa homogenea, punctiones evanuere, quare fomenta frigida omittuntur. Auscultatione et percussione semper eadem, hepatisatio significatur. Pulsus 75 dat ictus.

Die 28. Percussio est tympanitica, aëri viam esse apertam in pulmonum alveolos auscultatione ostenditur (crepitatio redux). Respiratio incerta aliisque locis strepitus.

Die 30. Crepitatio redux latissime diffusa, tussis est remissa. Aegrotus sanatus dimittitur.

Historia morbi V.

Julius P. quindecim annos natus habitu scrophuloso

subito die 12 Maji mensis ann. h. s. 56. Vehementi dolore in dextra thoracis parte simulque febri, tussi et dyspnoea correptus est. Morbillis antea scarlatinaque superatis saepius multumque laborabat morbo scrophuloso. Parentes aegroti optima valentudine gaudent, sicuti consanguinei ipsius natu minores.

Status praesens. Aegrotus de vehementibus fereque intolerabilibus queritur punctionibus dexterae thoracis partis, de magna dyspnoea, capitisque doloribus, languore omnium membrorum. Imperfecte respirat aegrotus, sputa parca sunt et crocea. Quod ad palpationem attinet in latere morbo affecto auctus significatur fremitus pectoralis, in sinistro thoracis latere et ante et post sonitus percussionis plenus, in dextro latere post et infra magnitudine fere manus vacuus, ante in iuferiori parte pulmonis lobi inferioris sonitus percussionis tympaniticus respondens.

Auscultatione indicatur in sinistra parte normalis vesicularisque respiratio nonnullis locis incerta, in dextra vero parte ante fremitus incertus et post prope inferiorem scapulae angulum bronchialis exspiratio clara nec non bronchophonia eodem loco aegroto verba edere jusso. Cutis sicca est et calida. Sputum mediocre et tenax, perlucidum, parum croceum, pulsus in sexagesima horae parte 130 dat ictus. Praescribebantur ad moderandas lateris punctiones frigidae aquae fomenta, potus ad sitim exstinguendam succus citri aquae mixtus; ad cordis actiones deprimendas.

℞ Stibio Kali tartar. gr.vj
Solve in
Aq. destill. ℥vj
Syrup. simpl. ℥j
D. S. 2stündl. Esslöffel voll.

Diagnosis.

Quum signa supra commemorata adessent diagnosis dubia esse non potuit: genuina aderat dextri lateris pneumonia crouposa inferioris et medii lobi pulmonis.

Per diem oppressione aucta, sputa tenaciora magisque ferruginosa facta sunt. Fomenta frigidae aquae continuabantur. Aegrotus septimo die quum respiratio ita sit impedita, ut vix verba edere posset, in tergo jacet. Sputa tenacia croceaque sunt.

Percussione demonstratur hepatisationem longius esse progressam partemque dextri superioris pulmonis lobi invasisse. Auscultatione idem demonstratur. Pulsus est celerrimus et exiguus, cutis calida et sicca. Praescribuntur eadem medicamenta. Octavo die dyspnoea relaxata est. Auscultatio et percussio eundem habent quem antea eventum. Pulsus centum dat ictus. Die nono remissio adest, respiratio est accelerata. Sputa fiunt catarrhalia, pulsus vix frequens et cutis obducta leni sudore viginti quattuor per horas manente. Sequenti die status semper melior fit, fremitus tamen dexteri lateris manet. Tussis remittitur, sputa parum sunt purulenta et minora. Undecimo die crepitatio redux adest, quibusdam

locis respiratio est acuta puerilisque. Aegroto querenti languorem praescribitur:

℞ Tinct. ferr. acet. Rav.
Mucilag. Gum. arab āā ʒij
Aq. destill. ℥iij.
Syrup. simpl. ℥j.
D.S. Dreimal tgl. Esslöffel voll.

Aegrotus sanatus est dimissus.

VITA.

Natus sum ego Ernestus Vormann, fidei evangelicae addictus Hagenae in oppido comitatus Marchiae die XXX men. Jannarii anni h. s. XXXI, patre Theophilo, matre e gente Andrée, quos morte mihi ereptos valde lugeo. Primis literarum elementis in schola] Hagensi imbutus, per duos annos arti pharmaceuticae ediscendae operam navavi. Deinde animo in studium medicinae verso Gymnasium Susatense, quod directore Patze floret, petii et per annos fere tres frequentavi. Maturitatis testimonio instructus auctumno anni h. s. 1853 Gryphiam petii ibique a Beat. Berndt t. t. Rectore magnifico in civium academicorum numerum receptus et apud Ill. Bardeleben t. t. Decanum ordinis medici spectabilem nomen professus sum.

Per octo semestria hisce scholis interfui:

Beat. Matthies: de psychologia.

Beat. Erichson: de logice.

Ill. de Feilitzsch: de physice experimentali, de geographia mathematica.

Ill. Münter: de botanice, de zoologia, de botanice medica. Eundemque in excursionibus botanicis secutus sum.

Ill. Hünefeld: de mineralogia, de chemia organica nec non anorganica, de exercitationibus chemicis, de chemia analytica.

Cel. M. Schultze: de anatomia comparata.

Cel. Pohl: de syphilide, de anatomia pathologica, de morbis organorum uro-genitalium.

Cel. Laurer: de materia medica, de toxicologia, de fontibus salubribus, de arte fascias chirurgicas rite alligandi.

Cel. B. Schultze: de osteologia, chondrologia, syndesmologia corporis humani.

Exp. Bengelsdoff: de arte formulas medicaminum rite concinnandi.

Exp. Hoppe: de histologia.

Exp. Haeckermann: de medicina forensi, de polit'a medica.

Cel. Eichstedt: de arte obstetricia theoretica, de mulierum morbis, de exercitationibus obstetricis in phantomate. Idem dux mihi fuit in clinico obstetrico.

Ill. Bardeleben: de chirurgia generali et speciali, de akiurgia, de fracturis et luxationibus, de ophthalmiatrice, de morbis chirurgicis membrorum et operationibus in iis instituendis. Idem mihi dux fuit in operationibus chirurgicis in cadavere instituendis, nec non in clinico chirurgico et ophthalmiatrico.

Ill. Niemeyer: de pathologia et therapia speciali, de morbis organorum uropoëticorum, de cerebri, morbis. Idem dux mihi fuit in clinico medico.

Ill. Haeser: de encyclopaedia medicinae, de pathologia et therapia tam generali, quam speciali, de semiotice et diagnostice generali.

Ill. Schultze: de anatomia corporis humani, de physiologica, de anatomia pathologica de arte cadavera rite dissecandi, de osteologia, syndesmologia et chondrologia corporis humani.

Ill. Budge: de anatomia microscopica, de embryologia Idem mihi dux fuit in arte cadavera rite dissecandorum.

Quibus omnibus praeceptoribus optime de me meritis pio gratoque animo gratias ago quam maximas.

THESES.

I.

In vulneribus capitis, si suitur, galea aponeurotica acubus nunquam perforetur.

II.

Collodium in primo combustionis gradu optimum remedium.

III.

Quo simplicius eo felicius curamus.

IV.

Sustentatio perinei in partu aliis manipulationibus est evitanda.